



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Crispino I, Episc. Ticinensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

DE S. CRISPINO I, EPISC. TICINENSIS.

CIRCITER AN.
CHRIST.
CCXLVIII.
VII JANUARI.
Tres SS. Crispini Episcopi
Ticini.

I. 7 Jan. colitur.

Ejus vita ex
Ferrario.

Dissidentes
reconciliat.

Tres refert Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiae Crispinos Episcopos Ticinenses, atque eorum primum hodie coli, secundum et tertium xxx Octobris. Sed ut infra dicemus, tertius S. Epiphanii decessor hoc VII Jan. die colitur. Crispini Episcopi et Confessoris meminerunt Bellinus, Maurolycus, Martyrol. Germanicum, neque expriment primusne sit an tertius. Molanus, Galesinius et Baronius in Notis, de tertio, id est, decessore et magistro S. Epiphanii, accipiunt, ut infra patebit. Martyrologium Gallobelgicum II Januarii S. Crispinum Ticinensem Episcopum refert, absque distinctione.

2 S. Crispini I vitam sic breviter complexus est Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiae VII Januarii: Crispinus ex nobili Nigrorum familia Papiae natus, ac in Canonicorum numerum adscriptus, post S. Ursicinum ad Episcopale munus assumitur. Qui cum praedicationis officio prohibitus fungi non posset, totum se ad exornandam Ecclesiam et urbem, ac ad pacem inter dissidentes componendam contulit. Altercanti- bus enim apud Summum pagum juxta Padum de praediorum finibus rusticis, Diaconum suum ad eos conciliandos misit. Duos item fratres prati unius caussa districtis gladiis contendentes, oblata illis pecunia, composuit. Pratum illud, quod Pacis appellabatur, civitati donavit. Porranam villam Canonice attribuit. Urbem cenosam lapidibus sternendam, Ticinique amnis ripas ponte lapideo jungendas curavit. His, aliisque praclare gestis, populum et Clerum ad religionem pacemque servandam hortatus, cum in Episcopatu annos xxxiv vixisset, migravit ad Dominum.

3 Haec Ferrarius. Papiae nomen, quod vulgo nunc Pavia dicitur, unde aut quando primum Ticino adhaeserit, haud reperi. Ticinum prius, et a quibusdam Ticinus appellata, a fluvio Ticino, qui etiamnum Tesino vocatur, infraque Papiam in Padum influit. Qui hic Ursicinus dicitur S. Crispini decessor, is a Martyrologio Romano, Galesinio, ipsoque Ferrario Ursicenus appellatur, coliturque XXI Junii. De ejus aetate, ut isthic dicemus, non constat: probabilis censet Ferrarius an. ccxiv obisse. Quod de Summo pago, (qui Suma, ut reor, in tabulis Mercatoris et Ortelii dicitur, ad Padum laram ripam, e regione cujus Copis torrens Pado miscetur) quod de eo, inquam, agroque Summate, et lite per Crispini Diaconum composita hic scribit Ferrarius, debet ad S. Crispinum III referri, ut patet ex vita S. Epiphanii XXI Januarii.

4 Idem fortassis dicendum videatur de miraculo quod idem refert Ferrarius ex Papiensibus historicis, id videlicet non a Crispino I, sed III, esse patratum, aut ab eo certe, cujus Ticini celebrior tunc esset memoria. Petrus, inquit, Diaconus Ticinensis urbe trans Padum pro negotiis Ecclesiae digressus, cum tonitruis, grandinibus, fulminibusque, ac ventis ruentibus per fugium nullum haberet, ad opem D. Crispini implorandam genuflexus confugit, statinque caelum ex turbatissimo serenum effectum est.

5 Hujus sancti Antistitis Crispini meminit et Bernardinus Saccus Ticinensis historiae lib. 6, cap. 8 et 9. Circa Severi, inquit, imperium Crispus Niger Ticinensis Episcopus constitutus fuit: qui aperte concionari vetitus, alio labore ac studio Ticinenses fovit. Nam rerum publicarum administrationem complexus, populum ad civitatis ornamentum excitavit, suasitque in primis opportunum fore vias civitatis lapide sternere, fluminis ripas infixis altius palis munire, ne facili incremento ac raptu evadere ab alveo efractis ripis posset; docuitque juxta fluminis latera in locis humilioribus aggeres formari, tellure in altum congesta, ut intra aggeres conclusa praedia tuta essent fluvio inundante, ac pretiosiora fierent. Ponte insuper Ticinum omnino jungendum esse ad civitatis decus et commodum, dixit; ejusque dicto populus audiens fuit, et opus perfecit. Crispo igitur Episcopo hujus nominis primo hortante, populus Ticinensis lapideum pontem in Ticino fluvio aedificavit, circa annum ducentesimum a Natali Domini. Distabant eo tempore muri civitatis a ponte et a fluminis ripa ad jactum lapidis, extantque ipsius antiqui muri monumenta in domo Salaria, et apud aedes Divi Theodori, et Divae Agathae, distantiam, quam scribo, attestantia. Plura deinde de eo ponte ibidem disserit Saccus. Sed quod circa annum cc aedificatum esse pontem ait, qui Severi octavus fuit, a Ferrarii chronologia paullo ante relata dissentit.

6 Confusa mihi videntur trium Crispinorum Acta, meritoque ambigi posse an tres an duo solum statuendi sint, cum ipse Ferrarius in novo Catalogo SS. ad xxx Octobris duos solum recenseat; Galesinius quoque eo die illum coli existimet, qui aliis est tertius. Idem Galesinius v Decemb. ista habet: Papiae S. Crispini Episcopi et Confessoris, cujus multis in rebus spectata est doctrina et sanctitas. At de quo ea praecipue accipi debeant, non statuo.

Ejus invocacione sedata tempestas.

Curat aggeres fieri ac pontem.

Confusa Crispinorum Acta.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

FELICE ET JANUARIO.

VII JANUARI.

Martyrologium Romanum: In civitate Heraclaea, sanctorum Martyrum Felicis et Januarii. Consentit Usuardus, Bellinus, Maurolycus, Galesinius, ms. Florarium, Martyrol. German. mss. complura, et nominatim antiquissima duo S. Hieronymi. Nihil de his certi possum pronuntiare, nisi non assentiri me Bivario, qui commentariis in Dextri Chronicon ad annum ccxcvi, num. 4, hos esse censet, quos Graeci referunt XVI Aprilis cum Fortunato et Septimio; passosque vult Heraclaeae civitate Hispaniae. Nam qui isthic celebrantur a Graecis, ii XXIV Octobris colun-

tur Venusiae in Apulia, licet de Martyrii loco haud satis constet. Non tamen videntur Heraclaeae ad fretum Gaditanum interfecti, nec est in Actis quidquam, unde id conjici possit. An Heraclaeae, quae Lucaniae urbs fuit, culti aliquando Felix Episcopus et Januarius Presbyter, eo forte translati, haud dixerim. Probabilis est, alios ab his esse, in alia quapiam Heraclaea passos. De Hispanica Heraclaea assentiatur Bivario, cum certum attulerit argumentum. ms. Martyrologium S. Hieronymi iterum (de iisdem, ut ego quidem arbitror) XIV Februarii: In Heraclaea natalis Felicis, Januarii.

DE